



manente Religio non possit dispensare in aliquo ex dictis votis: ex quo manifeste sequi videtur, hec tria non solo Jure humano, sed Divino requiri ad substantiam Religionis; si enim solo Jure humano ad eam essent necessaria, Papa in iis haud dubie dispensare posset; utpote qui secundum plenitudinem potestatis de Jure potest supra Jus dispensare, uti dicitur c. Proposui. 4. de Concess. Præbend. Accedit ratio; quia juxta dicenda infra n. 17. & 18. Christus ipse statum Religiosum secundum substantiam instituit. & in eo pro forma substantiali, præfata vota posuit: ad quem statum, licet nullum obligarit, tamen paternè invitavit, ut tacendo alios textus patet Math. 19. ubi postquam normam, viamque salutis ostendit secularibus, dicendo: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, mox aspirantibus ad perfectiorem vitam, statum Religionis exhibet, ad eumque invitavit dicens: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni, sequere me: his enim verbis præfata tria vota essentialia Religionis constituenta comprehendit; cum aliis benè observat Tamburinus de Jure Abbat. Tom. 1. Disp. 2. q. 8. juxta quod D. Petrus ibidem subdit: Ecce nos reliquimus omnia (id est, bona temporalia, quod fit per voluntariam Paupertatem; & uxorem, quod fit per Castitatem) & secuti sumus te per Obedientiam.

13. Quòd si quæras, cur potius hæc tria vota, quam alia pro forma substantiali status Religiosi fuerint posita? Resp. Id inde factam esse: tum quia dicta vota magis quam alia servant ad perfectionem charitatis tanquam finem Religiosi status assequendum, magisque & efficacius quam reliqua aufferant impedimenta perfectionis juxta dicta num. 6. Tum quia per eadem homo se & omnia sua perfecto modo consecrat Deo, eique quasi holocaustum offert. Tria namque principalia habet homo, animam videlicet, corpus, & bona temporalia, quæ omnia per memorata tria vota Deo plene offeruntur. Primum quidem seu anima per Obedientiam, quæ propter Deum voluntas plene abrogatur, & dispositioni Superioris subjicitur, aded ut Religiosus velle & nolle non amplius habeat, c. Religiosus, de Testam. in 6. Corpus offertur per Castitatem, dum per eam omni voluptati carnali ob Deum renuntiat. Bona temporalia verò per Paupertatem. De tribus his votis ad propositum sic loquitur Joannes XXII. in Extravog. Quorundam. de V. S. Religio perimitur, si à meritoria subditi obedientia subtrahatur. Magna quidem paupertas, sed major integritas: bonum est obedientia: maximum, si custodiatur illesâ: Nam prima rebus, secunda carni, tertia menti dominatur, & animo.

14. Queritur III. Utrum ad substantiam Religionis requiratur, ut tria vota sint solemnia? An sufficiant simplicia? Resp. Quamvis olim circa hoc quæsitum non modica fuerit controversia, eò quòd vota omnium Religiosorum (exceptis Religiosis primæ Professionis in Societate) fuerint, & adhuc sint solemnia, arg. c. un. de Voto. in 6. Nihilominus hodie certum est, sufficere etiam simplicia. Fundamentum est; quia ita expressè declaravit Papa Gregorius XIII. in Bulla Ascendente Domino. Sicut etiam, quòd Religiosi Societatis, qui peracto Novitiatu primam Professionem emittunt, pro veris habeantur Religiosis, non obstante, quòd non nisi simplicia tunc edant vota. Accedit ratio, videlicet, quòd voti solemnitas ex sola institutione Ecclesie fit inventa, cit. c. un. de Voto. in 6. & consequenter hoc ipso jam non fit de Religionis substantia; cum aliis Christus non totam substantiam Religionis instituisset. Reliqua hujus controversiæ

fundamenta qui cupit, videat apud DD. Societatis, ac etiam Rodriguez, Mirandam, Donatum, & alios: nobis potè Decisionem Papalem videtur eorum discussio superflua.

Queritur IV. Quo tempore, & à quo institutus fuerit status Religionis? Resp. I. Olim jam in Lege veteri, seu Moisaicâ ante Christi adventum, imò & in ipsa Lege naturæ ante diluivium quedam Religiosi status vestigia, ac figuræ fuere, D. Thomas 2. 2. q. 186. a. 6. Miranda in Manual. Prælat. Tom. 1. q. 3. 4. 20. Rodriguez qq. Regul. Tom. 1. q. 1. a. 1. Hiacynthus Donatus Tom. 4. tr. 1. q. 15. & communis aliorum. Et quidem de Lege naturæ patet ex illo Gen. 4. ubi de Enos dicitur: Ille incipit invocare nomen Domini, quod non nisi de speciali ritu colendi Deum intelligi potest, cum ante ipsum jam Adam, & jussus Abel invenerunt Deum.

In veteri autem Lege status Religiosorum non solum figuratus fuit in Nazareis, de quibus Num. 6. & in Elia, & Eliseo, qui in Collegiis habitabant, ut legitur in Lib. 3. & 4. Regum; sed etiam in Samuele tanquam eorum Principe, de quo Genebrardus in Chronologia ait: Nota quòd Samuel primò instituit conventus Religiosorum jugiter psallentium (ut refert Tamburinus de Jure Abbat. Tom. 1. Disp. 2. q. 1. apud quem plura de hoc.) Et hinc 1. Reg. 10. iteratò fit mentio de grege, seu cuneo Prophetarum psallentium Deo; qui proinde simul habitant. Unde S. Hieronymus Epist. 4. ad Rusticum ait: Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, edificabant sibi casulas prope fuenta Jordanis &c. & turbs Urbium derelictis polea & herbis agrisibus vilitabant.

Resp. II. Dicitis non obstantibus, ante adventum Christi non fuit vera, & propriè dicta Religio, cum ea perfectione, quam nunc habet, essentialiter nempe includens votum perpetuæ Paupertatis, Castitatis & Obedientie. Miranda in Manual. Prælat. Tom. 1. q. 3. a. 1. & 2. Roder. Tom. 1. c. 1. a. 1. Pellizz in Manual. Regular. Tract. 1. cap. 2. Tamburinus lo. cit. & communis aliorum. Ratio est: tum quia nihil perfectum adducit Lex ait Apostolus Hebr. 7. vocans, Galat. 4. tempus Legis veteris tempus infantie seu pueritæ illis verbis: In & nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi hujus eramus servientes. Tum quia licet in possibile non fuerit, quin aliqui in veteri Lege emiserint tria vota Religionis, tamen cum nullo fundamento id de aliquo in particulari, multò minus de Communitate aliqua, præfata vota habente asserere possumus: Tum quia, ut statim dicitur, status Religiosi secundum perfectionis substantiam primus Institutor fuit Christus Dominus, consequenter non alius in veteri Testamento.

Resp. III. Religio, seu status Religiosus secundum substantiam suam non ab aliquo puro homine, sed immediate ab ipso Christo Domino fuit instituta. Rodriguez lo. cit. Miranda lo. cit. a. 1. Pellizz lo. cit. q. 5. Suarez Tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 2. n. 3. Pithing h. 1. num. 18. Est, ut teste Mirandâ certissima, & omnium Catholicorum hæc de re certè sententium, probaturque tum ex dictis supra nu. 12. tum ex variis aliis locis Evangelii, in quibus satis manifestè apparet, quòd Christus multos ad modum & normam sub tribus præfatis votis vivendi, sive ad statum Religiosum invitavit, & cohortatus sit, ut patet ex textu Math. 19. supra n. 12. jam citato. Et ulterius ex Matthæo 10. Nolite possidere aurum & argentum &c. & illo Lucæ 14. Nisi quis renuntiet vni omnibus, que possidet, non potest meus esse discipulus; quibus verbis de Paupertate instituta constat. De Castitate patet etiam ex illo Math. 19. Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter

Re-

Regnum celorum. De Obedientia item, per quam quis se ipsum, & propriam voluntatem abnegat ex Math. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum. &c.

19. Porro Religio à Christo Domino instituta, eo invitante & hortante statim ab initio Ecclesie ab ipsis Apostolis, ac aliis Christi Discipulis fuit suscepta, qui emissis prius enumeratis votis veram vitam Religiosam duxerunt, verique Religiosi existerent: prout docent S. Chrysostomus lib. 3. contra Monast. vite vituper. S. Hieronymus in lib. contra Jovinian. & in Apolog. ad Pamach. & alibi: Hieronymus. Plati de Bono statu Relig. lib. 2. cap. 2. Miranda Tom. 1. q. 3. a. 1. Concl. 2. Joan. Gerfon Alphab. 42. Sermo de Cena Domini. Hiacynth. Donatus Tom. 4. tr. 1. q. 8. allegans D. Thomam 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3. allegantem S. Augustinum. Engel h. 1. nu. 4. Tamburinus de Jure Abbat. Tom. 1. Disp. 2. q. 9. Suarez, id probantes ex illo Math. 19. ubi postquam Christus requisita ad statum Religiosum alicui proposuit, Petrus nomine Apostolorum indicavit, hunc statum se jam assumpturum, dicendo: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. vivendo in Obedientia, sine Proprietate, & in Castitate, conformiter dicitur. Hoc facit etiam ex Actis Apost. cap. 4. ibi: Multitudinis credentium (ab initio Ecclesie) erat cor unum, & anima una, nec quiquam eorum, que possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

20. Resp. IV. Quamvis Religionem, statumque Religiosum quoad substantiam Christus ipse instituit, ipsamque, ut dictum. Apostoli ac alii discipuli statim ab initio Ecclesie susceperunt, & veram vitam Religiosam emissis tribus votis duxerunt, nihilominus, si Religio spectatur non præcisè circa substantiam, sed insuper secundum certas Regulas, Religionis substantiæ superadditis, certumque modum vivendi præfate substantiæ adjectum, plures Religiones (post jam institutam à Christo Religionis substantiam) ab hominibus, viris utique perfectis fuere institutæ: & ab Ecclesia approbatæ, ita ut quævis earum peculiarem Fundatorem, ac principalem Institutorem habeat. Omnes, Patebitque ex §. sequenti. Nec est Conclusio hæc contraria Conclusioni præfate numer. 3. Quamvis enim Christus Religionem instituerit quoad substantiam, tamen accidentalia ejusdem reliquit Ecclesie determinanda, salvâ semper substantiâ, ejusdemque substantiæ Institute manente Christo, supremo perfectionis Magistro: Prout simile quid contigit in Sacramentis, quorum Institutorem secundum substantiam fuit, & semper manebit Christus. non obstante, quòd accidentalium determinationem reliquerit Ecclesie: ut docent unanimiter Theologi, & habetur Theologia nostra Moral. Tract. 14. Disp. 1. q. 2.

§. II.

De Diversitate, ac Numero Religionum: nec non de perfectione, & utilitate earum tam absoluta quam respectiva.

SUMMARIUM.

- 23 Religiones omnes conveniunt in substantia, & tantum differunt in accidentalibus: & quibus?
- 24 Alia est Contemplativa, alia Activa, alia Mixta.
- 25 Alia Clericalis, alia Monachalis, alia Mendicans, alia Militaris.
- 26 Monachus & Religio Monachalis quid? & que ejus occupatio?

- 27 Mendicans Religio quid? & que?
- 28 Mendicantes omnes (exceptis Fratrum Minoribus) hodie habent bona in communis.
- 29 Militaris Ordo quid?
- 30 Professus Ordinis Militaris an & quomodo sint Religiosi? usque ad num. 34.
- 34 Quatuor tantum sunt Regule Religiosorum, SS. Basilii, Augustini, Benedicti, & Francisci.
- 35 Regula S. Basilii quando incæperit? & qui sub ea?
- 36 Carmelitana Religio quando incæperit?
- 37 S. Augustini Regula quando incæperit? militans sub ea plures Religiones.
- 38 Inter alias Religio Præmonstratensium: Hujus initium.
- 39 Et Religio Dominicanorum: Horum initium.
- 40 Referuntur plures Ordines sub Regula S. Augustini militantes.
- 41 Melitensis Ordinis origo, & initium.
- 42 Ordo Militaris Teutonicus quando, & quomodo incæperit.
- 43 Ordo S. Benedicti, & Chiniacensium quando incæperit?
- 44 Cisterciensium Ordinis initium.
- 45 Cisterciensium Ordinis origo, & initium.
- 46 Templariorum Ordinis origo, & interitus.
- 47 Regula S. Francisci fuit divinitus revelata, ac instituta, usque ad num. 49.
- 49 Religionis Seraphicæ origo, ac initium.
- 50 Franciscani Observantes, Recollecti, Reformati, & Discalceati sub una Regula, & sub eodem vivunt Generali. Reformati purius observant Regulam, quam Observantes. Ibid.
- 51 Generalis Franciscanorum solus utitur Sigillo totius Ordinis, solusque dicitur Generalis totius Ordinis S. Francisci.
- 52 Capucinum unum Origo: controversia inter Capucinos, & Franciscanos de Coputio est sublata.
- 53 Conventuales qui lim, & qui nunc?
- 54 Clarissimum origo.
- 55 Tertiariorum Ordo, Regula, & origo qui?
- 56 Chartusianorum, Jesuitarum, & Minorum origo.
- 57 Vitæ semper fuit Ecclesie, vigere in ea Religiones.
- 58 Diversus.
- 59 Religionum, & Religiosorum nimia multitudo vitanda.
- 60 Contemplativa Religio est perfectior Activâ.
- 61 Mixta vita & Religio est perfectior Contemplativa.
- 62 Respondetur ad textum: Maria optimam partem sibi elegit.
- 63 Franciscanorum Religio est mixta. Meditationem ob proximam salutem omitentes, malè sibi consulunt. Ibid.
- 64 Inter mixtas Religiones quam perfectior?
- 65 Adducitur summa perfectio Religionis Seraphicæ.
- 66 Status Religionis durabit usque ad finem mundi: Specialiter Religio Seraphica S. Francisci.

Queritur I. An, & qualis sit diversitas Religionum? & quomodo dividantur? Resp. Quamvis omnes, ac singulæ Religiones neque in essentia, neque in fine principali differant, sed verè conveniant, utpote omnes tria vota substantialia habentes, omniæque ad unum finem principalem, perfectionem nempe, perfectanque Dei Charitatem (que est vinculum perfectionis) tendentes; nihilominus multum differunt inter se accidentaliter, præcipuè verò in duobus: videlicet: Ddd 4 Pri-





que ad distinctionem illorum *Conventuales* fuerint appellati, primis annis omnes sequē ac existentes in eremis eandem S. Francisci Regulam ad litteram observantes. (Et talis *Conventualis*, seu *Franciscanus* in *Conventibus* existens, Regulam ad litteram observans fuit etiam S. Antonius de Padua, non verò talis *Conventualis*, quales hodie sunt *Regulam* non nisi dispensatam observant.) Verùm successu temporis quidam *Conventus*, & *Conventuales* *Franciscani* à primo rigore deflectere inciperunt, quibus licet fortissimè simul ac zelosissimè se opposuerint reliqui *Conventuales* Regulam ad litteram zelantes, & observantes (inter quos fuit etiam S. Antonius) tamen efficere non potuerunt, quin aliqui saltem in suo proposito remaneret, & ne in conscientia securi essent, relaxationem Indulgentiarum & dispensationem à Summo Pontifice Innocentio IV. Anno 1244. impetrarent, retento nomine *Conventualium* dispensatorum reliquis in pura observantia Regulæ permanentibus, & præter distinctos Superiores cum tempore etiam aliud nomen, præcipuè verò *Fratrum Minorum de Observantia* assumptis: tum ad distinctionem *Conventualium* dispensatorum: tum ad constandum, quòd in pura Regulæ observatione hæc tenus permanerent, & in futurum permanere, sicque *Franciscum* serie non interrupta in Capite & in Membris Regulam à Deo traditam continuò observantes sequi cogitent. Id quòd Leonem X. Pontificem Maximum iussu permovit, ut soli Generali *Fratrum Minorum Regularis Observantia* sigillum totius Ordinis competere, eumque solum serie non interrupta S. Francisci in Generalatu Successorem totius Ordinis S. Francisci Ministrum Generalem esse, dici posse ac debere decreverit. Siquidem uti PP. Capucini, ita & PP. *Conventuales* Moderni supremum suum Caput non absolute Generale Ordinis S. Francisci, sed cum addito *Capucinorum*, vel *Conventualium* nominare possunt.

Rursus sub S. Francisco militans etiam Moniales Clarissæ, à S. Clara sic dictæ, servantes non quidem eandem cum *Fratrum Minoribus*, sed aliam à Francisco tamen institutam Regulam, quæ post eam spectatâ femininarum imbecillitate à nonnullis Pontificibus, ut Gregorio XI. Innocentio IV. Alexandro IV. & Urbano VI. fuit moderata, præsertim quoad pauperatum in communi, quo non obstante strictissimam adhuc observant Regulam, & clausuram.

Tandem sub eodem sanctissimo Patriarcha Francisco militant etiam *Tertiarii*, à *tertia* Regula sic nuncupati. Sciendum namque S. Franciscum tres instituisse Ordines, sub tribus distinctis, ac diversis Regulis. *Primus* fuit Ordo *Fratrum Minorum* sub Regula à Christo revelata, juxta dicta num. 47. *Secundus* fuit Ordo pauperum *Monialium*, pro quibus aliam specialem Regulam fecit, eamque primò observandam tradidit S. Clara, undè & sequaces ejus *Clarissæ* dicuntur. *Tertius* fuit Ordo *Tertiariorum* tam pro viris quam feminis, tam solatis quam ligatis institutus. Siquidem S. Franciscus amore Dei & proximi flagrans, omnes ad viam salutis per media convenientia dirigere cum plurimum desideraret, simulque videret, rigidas privas duas, quas *Fratrum Minoribus*, & *Clarissis* posuit regulas, pro quolibet cuiusvis status homine minimè quadrare, inspirante Patre Luminum invenit Anno 1221. aliam, sicque respectu præcedentium duarum tertiam Regulam, quam quis in quovis statu absque illo in pedimento facile servare, servandoque securus servari posset. Hanc Regulam plures summi Pontifices confirmarunt, simulque declararunt, viventes ea, non nudam

que ad distinctionem illorum *Conventuales* fuerint appellati, primis annis omnes sequē ac existentes in eremis eandem S. Francisci Regulam ad litteram observantes. (Et talis *Conventualis*, seu *Franciscanus* in *Conventibus* existens, Regulam ad litteram observans fuit etiam S. Antonius de Padua, non verò talis *Conventualis*, quales hodie sunt *Regulam* non nisi dispensatam observant.) Verùm successu temporis quidam *Conventus*, & *Conventuales* *Franciscani* à primo rigore deflectere inciperunt, quibus licet fortissimè simul ac zelosissimè se opposuerint reliqui *Conventuales* Regulam ad litteram zelantes, & observantes (inter quos fuit etiam S. Antonius) tamen efficere non potuerunt, quin aliqui saltem in suo proposito remaneret, & ne in conscientia securi essent, relaxationem Indulgentiarum & dispensationem à Summo Pontifice Innocentio IV. Anno 1244. impetrarent, retento nomine *Conventualium* dispensatorum reliquis in pura observantia Regulæ permanentibus, & præter distinctos Superiores cum tempore etiam aliud nomen, præcipuè verò *Fratrum Minorum de Observantia* assumptis: tum ad distinctionem *Conventualium* dispensatorum: tum ad constandum, quòd in pura Regulæ observatione hæc tenus permanerent, & in futurum permanere, sicque *Franciscum* serie non interrupta in Capite & in Membris Regulam à Deo traditam continuò observantes sequi cogitent. Id quòd Leonem X. Pontificem Maximum iussu permovit, ut soli Generali *Fratrum Minorum Regularis Observantia* sigillum totius Ordinis competere, eumque solum serie non interrupta S. Francisci in Generalatu Successorem totius Ordinis S. Francisci Ministrum Generalem esse, dici posse ac debere decreverit. Siquidem uti PP. Capucini, ita & PP. *Conventuales* Moderni supremum suum Caput non absolute Generale Ordinis S. Francisci, sed cum addito *Capucinorum*, vel *Conventualium* nominare possunt.

Rursus sub S. Francisco militans etiam Moniales Clarissæ, à S. Clara sic dictæ, servantes non quidem eandem cum *Fratrum Minoribus*, sed aliam à Francisco tamen institutam Regulam, quæ post eam spectatâ femininarum imbecillitate à nonnullis Pontificibus, ut Gregorio XI. Innocentio IV. Alexandro IV. & Urbano VI. fuit moderata, præsertim quoad pauperatum in communi, quo non obstante strictissimam adhuc observant Regulam, & clausuram.

Tandem sub eodem sanctissimo Patriarcha Francisco militant etiam *Tertiarii*, à *tertia* Regula sic nuncupati. Sciendum namque S. Franciscum tres instituisse Ordines, sub tribus distinctis, ac diversis Regulis. *Primus* fuit Ordo *Fratrum Minorum* sub Regula à Christo revelata, juxta dicta num. 47. *Secundus* fuit Ordo pauperum *Monialium*, pro quibus aliam specialem Regulam fecit, eamque primò observandam tradidit S. Clara, undè & sequaces ejus *Clarissæ* dicuntur. *Tertius* fuit Ordo *Tertiariorum* tam pro viris quam feminis, tam solatis quam ligatis institutus. Siquidem S. Franciscus amore Dei & proximi flagrans, omnes ad viam salutis per media convenientia dirigere cum plurimum desideraret, simulque videret, rigidas privas duas, quas *Fratrum Minoribus*, & *Clarissis* posuit regulas, pro quolibet cuiusvis status homine minimè quadrare, inspirante Patre Luminum invenit Anno 1221. aliam, sicque respectu præcedentium duarum tertiam Regulam, quam quis in quovis statu absque illo in pedimento facile servare, servandoque securus servari posset. Hanc Regulam plures summi Pontifices confirmarunt, simulque declararunt, viventes ea, non nudam

Con-

Congregationem, sed verè ac proprie Ordinem constituit, quem multis à Sede Apostolica canonizans Sanctis per quinque sæcula florentiam plurimè summi Pontifices. Vocatur autem hic Ordo *Tertius* respectu duorum à S. Francisco prius institutorum: sicut Regula eorum dicitur *Tertia* respectu duarum aliarum præcedentium. Vocatur etiam alio nomine *Ordo penitentium*, & viventes in eo, *Fratres*, & *Sorores de penitentia*, eò quòd penitere, seu penitentiam agere volentibus specialiter etiam à S. Francisco fuerit intentus. Porro quamvis non omnes *Tertiarii*, seu in tertio Ordine existentes, Religiosi sint, ex defectu trium votorum substantialium, sunt tamen aliqui, quæ plurimè tam viri, quam mulieres veri Religiosi, illi nempe, qui emissis tribus votis in *Monasteriis* degentes vivunt sub Obedientia Ministrum Generalis totius Ordinis S. Francisci. Plura, eaque præclara de his tribus sub S. Francisco, ejusque Regula militantibus Ordinibus vide apud Lucam Wadingum, Dominum de Gubernatis Roderiquez, Mirandam, & Ordinis Chronicam: ubi etiam ea invenies, quæ de ipsam hæcenus brevissimè adduximus.

Præter enumeratas sub quatuor Principalibus Regulis militantes Religiones sunt adhuc alia, sed pauca, nullam ex prælati Regulis habentes, sed proprias Constitutiones pro Regulis observantes. Præcipui sunt celeberrimus Ordo *Carthusianus* institutus à S. Brunone Anno 1084. sub Pontifice Gregorio VIII. Item sanctissima, ac Ecclesie utilissima *Societas Jesu* instituta à S. Ignatio Loyola, & confirmata à Paulo III. Anno 1540. Ac tandem Ordo *Minorum* institutus à S. Francisco de Paula Anno 1436. confirmatus à Sixto IV. Anno 1473. Et hæc pro brevi eruditione de Ordinum diversitate & Origine Titulo huic de Regularibus inferere consilium visum est. Plura de his, qui desiderat, consulat Bordonum, Barbofam lib. 1. *Juris Eccles. univ. cap. 41. per totum*, & alios ex professo integros Tomos de his scribentes.

Queritur III. Utrum expediens & utile fuerit ac etiamnum Ecclesie Dei, quòd instituit in ea fuerint, & adhuc sint Religiones, præsertim tot, & tam diversæ? Resp. I. Fuisse semper & etiamnum esse convenientissimum, & utilissimum Ecclesie Catholice, quòd in ea semper fuerint, & adhuc sint Religiones. Ita communi Doctorem Regularium, & aliorum. Patetque non tantum ex multiplici Oraculo plurimorum Pontificum, sed & ex communi sensu fidelium. Ratio est: tum quia statum Religiosum juxta dicta num. 18. Christus ipse instituit, ad eunque Apostolos, & alios sepius invitavit, quòd non fecisset, si Religiones Ecclesie sæc utiles esse non cognovisset: tum quia teste continuò experientia Religiosi suis meritis & precibus, exemplo & doctrinâ, zelo & labore plurimum semper directè ac indirectè profuerint, & adhuc profunt Ecclesie innumera eidem conferendo bona, & gravissima ab eadem avertendo mala, adeò ut merito Christus ad S. Theresiam dixerit: *Va mundo, si Religiosi non essent*. Sanè omnibus nota est celeberrima illa visio, quam habuit Innocentius Papa III. quâ vidit Lateranensem Ecclesiam (quæ tunc erat Sedes Pontificum) convulsis fundamentis ruinæ propinquam, & jam labantem, solis S. Francisci suppositis humeris sustineri.

Resp. II. Fuit inique Ecclesie summè utile, ac expediens, non tantum quòd plures, sed & quòd variae institutæ fuerint, & vigeant in ea Religiones. Miranda Tom. 1. q. 2. Hyacinth. Donatus Tom. 4. *Reiffesnel Jus Can. Tom. III.*

Numero Religionum, &c. *Dei. 1. q. 17. Pelliz. tr. 1. cap. 3. scilicet. 1. n. 1. & communis aliorum cum D. Thoma 2. 2. q. 183. a. 2. & q. 188. a. 1. & seqq.* quod iterum probatur ex communi sensu fidelium, & Oraculis Pontificum, inter quos Gregorius XIII. in Bulla *Attendente Domino*, ad propositum sic ait: *Cum Divina providentia pro temporum necessitate, varia & salutaria Ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque in ea subinde nascentibus morbis, nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova Regularium Ordinum auxilia exciderint, & cuique illorum juxta cuiuslibet peculiaris gratia vocationem peccatales quasdam notas, peculiaris insignia & opportuna ad finem, quem intendunt, media suggererit. Ratio est: tum quia in Ecclesia Dei varia sunt ministeria, in quibus eam juvare possunt Religiones; utique expediens erat, ut cum pro omnibus ministeriis una non sufficeret, plures diversi generis instituerentur, indeque plenitudinem ministrorum in omni genere ministerii præberent. Tum quia varia sunt ac diversa hominum genia, variae item propensiones ac inclinationes, nec eadem in omnibus vires, consequenter ex speciali Dei providentia plures diversæ Religiones saluberrimè ac sapientissimè sunt institutæ, ut si una Religio aliquis propensioni, aut naturæ non quadraret, alia pro defectu ad manum haberetur. Nam, ut dicitur c. *Qua diversitate. 5. de concess. Prab. Diversitatem corporum sepe sequitur animorum: & juxta illud Poëtæ, Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. sed juxta S. Paulum 1. ad Corinth. 7. Unusquisque in quo vocatus est, in hoc permanet apud Deum.* Tum quia ratione diversitatis in Ecclesia, Religiosi magis fuerunt multiplicati, indeque numerus specialium servorum Dei, & utilissimorum Ecclesie ministrorum fuit adauctus, cum teste experientia plurimæ Civitates, & loca, quæ duo vel plura ejusdem Religionis Monasteria habere deprecant, plura diversæ Religionis Monasteria ipsæmet sollicitant. Huc quadrat illud Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu decurato circumdata varietate.* Per Regimam enim Ecclesia, per varietatem autem, quâ decoratur, varias Religiones plures Interpretes intelligit.*

Fatendum nihilò minus, nimiam & excessivam multitudinem, & varietatem Religionum, ac Religiosorum nimis utilem, imò confusionis causivam, indeque merito vitandam esse, arg. c. un. *de Religios. domib. in 6. libi: Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, Concilium Generale vetavit, & ne quis de cætero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, aut habitum novæ Religionis assumat.* Verba autem Concilii Generalis sunt illa c. *fin. de Religios. domib. ibi: Ne nimia Religionum diversitas gravamen in Ecclesia Dei, & confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat, sed quicunque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.* Pariter ne ipsorum Religiosorum numerus nimium, & excessivè augeatur, providentissime simul ac prudentissime factæ sunt Constitutiones à Clemente VIII. *Quoniam ad institutum*, Gregorio XV. *Cum alias*, & Urbano VIII. *Romanus Pontifex*, de quibus infra Tit. de Religios. domib.

Queritur IV. Quenam Religio inter tot & tantas sit perfectior? Resp. I. Religio profertens vitam contemplativam est perfectior Religione habente vitam purè activam. D. Thomas 2. 2. q. 188. a. 6. Miranda Tom. 1. q. 9. a. 2. dicens, *Conclusionem esse indubitatam, Pelliz. tr. 1. cap. 3. scilicet. 2. num. 68.* cum communi & certa aliorum. Probatur communiter ex illo *Luce 10.* ubi Christus præferens vitam contemplativam Mariæ, laboribus

Eee vita-

vitaque activa. Ma. the. dixit: Maria optimum sibi partem elegit, & non auferetur ab ea. Ratio est; quia vita contemplativa magis apta est ad actus charitatis frequentius & ardentius exercendos, ipsa namque charitatem, que est vinculum perfectionis, facillius assequendam. Confirmatur Conclusio ex his, que fise in laudem vite contemplative tradunt SS. Patres, de quibus vide Actas.

61 Resp. II. Religio mixta ex contemplativa & activa est perfectior Religione pure contemplativa, consequenter inter omnes perfectissima. D. Thomas lo. cit. S. Augustinus lib. 19. de Civitat. Dei. cap. 19. S. Gregorius Homil. 5. in Ezech. Layman lib. 4. t. 5. cap. 2. n. 2. Miranda lo. cit. a. 5. Pelliz. lo. cit. nu. 69. Sylvester Jr. Religio. q. 4. cum communialiorum. Probatur impinis ex doctrina & exemplo Christi, non tantum verbo docentis, sed & opere exercentis vitam mixtam, utpote qui juxta Evangelium de nocte ascendit in montem solus orare, de die vero erat docens in templo, & intentus aliis exercitiis vitam activam concernentibus. Probatur etiam ex SS. Patribus, S. Augustinus enim lo. cit. postquam posuit tria vite genera otiosum nempe (quo contemplativam vitam intelligit) actuosum (quo activam indigit) & tertium ex utroque compositum seu mixtum addit, quod hoc tertium sit perfectissimum. S. Gregorius lo. cit. de viris perfectis loquens, inquit: Quod illi homines pro alio sit perfectissimi, qui post perfectam contemplationem redeunt, & descendunt, atque occupantur in exercitiis vite active. Pariformiter loquuntur alii SS. Patres. Ratio est; quia vita mixta ex natura sua utramque tam contemplativam quam activam includit; cum Religiosi talis Religionis non tantum in operibus charitatis, sed & in contemplatione & meditatione se quotidie exercent, ita ut quod de nocte in meditatione ac contemplatione positi, a Deo percipiant, de die in proximorum utilitatem erudent, juxta illud Psalm. 144. Memoriam abundantie suavitatis sue eruclabunt, & iustitia tua exultabunt. Hinc sicut teste D. Thom. lo. cit. majus & perfectius est illuminare (quod est lucem habere, & ipsam preestare) quam lucere tantummodo. Ita etiam majus est contemplata aliis tradere, quam solummodo contemplari, seu contemplationi vacare.

62 Nec obstant Conclusioni verba Christi Lucæ 10. Optimam partem (vitam nempe contemplativam) sibi elegit Maria. Nam contra est: tum quod hæc verba solum respectu partis, seu vite ad Martha electæ dicta sint, utpote quæ pure activam elegerat: tum quia, ut bene observat Cajetanus 2. 2. q. 182. a. 1. ad 3. & ex illo Miranda Tom. 1. q. 9. a. 5. Christus non dixit Optimam, sed optimam partem elegit Maria, ad innendum, quod licet vita contemplativa in ratione partis sit optima, utpote melior activa, non tamen adhuc sit Optimam in ratione totius, consequenter Maria elegerit quidem optimam partem, sed non Optimam ex toto, quod est vita mixta, utpote utramque partem tam contemplativam nempe, quam activam includens, ac ex utraque constans.

63 Hujusmodi Religiones mixtæ vitam ducentes mixtam, sunt ferè omnes Religiones Mendicantes, & quidem in specie Religio Seraphica Franciscanorum, idque ex benedictio & mandato Divino: cum enim S. P. Noster Franciscus dubitaret, num pure contemplativam, an verò mixtam vitam cum suis ducere deberet, & propterea pro obtinenda cognitione Divinæ voluntatis per se, & per fratres suos, serventes ad Deum funderet preces, divinitus relevatum est, Religionem Franciscanorum non propter solum Franciscum, & Fratres suos, sed etiam

propter salutem aliorum institutam esse, velleque Deum, ut non sibi solis viverent, sed & aliis proficerent; & consequenter non solum contemplativam, sed mixtam ducerent vitam; ita tamen laborem pro salute proximorum attemperantes, ut sanctæ orationis, ac devotionis spiritum non extinguerent. pro ut dicitur Alissimo sanctè & provide in ipsa Regula monetur. Hinc sicut quis Religiosus Religionis mixtæ, ita vel maxime Franciscanus male sibi consideret, qui in studiis ac laboribus pro salute proximorum in tantum se occuparet, ut orationem internam, Meditationem nempe, ac contemplationem vel omnino negligeret, vel non nisi raro aut tepide eidem vacaret: sic namque non amplius mixta, sed pure activa viveret vita, simulque contra Regulam, ac Religionis institutum, nec non aliqua ratione contra obedientiam ageret, si que parum vel nihil fructificaret, Deo benedictionem subtrahente, vel gratiæ suæ labores ejus non secundante.

Queritur V. Cum multæ hodie dentur Religionis mixtæ, quænam illarum in specie sit perfectior? Resp. Illam esse perfectiorem, que vi instituti sui tria vota substantialia perfectius observat, & magis tendit ad conformitatem cum vita Christi, & Apostolorum: caret controversiâ: cum enim juxta dicta, essentia Religionis consistat in tribus votis substantialibus, utique illa erit perfectior, que partes essentielles in gradu perfectiori possidet: Ac insuper, quia vita Christi omnis perfectionis perfectissima norma est, eamque plus cæteris imitati sunt Apostoli, procul dubio illa Religio perfectior merito reputanda est, que ad conformitatem cum vita Christi & Apostolorum plus cæteris tendit. Quænam Religio autem in specie, vota substantialia perfectius observat, quæ item vite Christi & Apostolorum se magis conformet, nec disputare, nec respondere expedit; eò quod comparationes specificæ sint valde odiosæ.

Illud tamen de mixta Religione S. Patris nostri Francisci dicere licet, eam in tanto perfectionis gradu observantiam prescribere trium votorum substantialium, ut gradus perfectior dari vix possit. Enimverò Obedientia in ea eo usque voyetur, ut non tantum in iis, que expresse præcipiuntur, in Regula, sed etiam in omnibus aliis sine ulla exceptione obedire teneatur Franciscanus, nisi aliquid præcipiatur, quod est contra Deum, ut peccaminosum, vel positive contra Regulam; uti patet ex Cap. 10. Regule, ibi: Præcipio firmiter, ut obediant suis Ministris (id est Superioribus, quos Ministros S. Pater appellat) in omnibus, que promiserunt Domino observare, & NB in omnibus, que non sunt contraria anime suæ, & Regule nostræ. Ut proin illud D. Bernardi locum non habeat in Religione Franciscana: Nihil mihi præcipiat Prælati, quod non voti. Votum Paupertatis non tantum in particulari, sed etiam in communi, consequenter in summo gradu in ea emittitur, quod nulla alia Religio habet, teste ipso Concilio Tridentino Sess. 25. de Regul. cap. 3. Castitatis votum in tanto perfectionis gradu voyetur, ut non tantum omnem in - & externam impudicitiam, & quodvis periculum ejus, sed insuper omnem, etiam non malam, sed indifferenter, vel etiam de se bonam, suspectam tamen conversationem mulierum vi Regule vitare sub gravi peccato teneatur quisvis hujus S. Religionis Professus. Quantum porrò ad conformitatem vite Christi, & Apostolorum præ cæteris tendat Religio Seraphica, patet ex ipso statim initio Regule Cap. 1. ubi in compendio Regula & vita Fratrum Minorum exprimitur, eamque in observatione S. Evan-

S. Evangelii, in quo vita, atque doctrina Christi, & Apostolorum continetur, consistere, dicitur, ibi: Regula & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctam Evangelium observare. Magna & mira sunt encomia, quibus S. Francisci Religionem extollunt Pontifices. Sufficit unum adducere Nicolaum III. qui c. Exit de V. S. in 6. ubi de hac sacra Religione, ejusque Alumnis loquens: Hi sunt, inquit, illius Sanctæ Regule Professores, que Evangelico fundatur eloquio, vite Christi roboratur exemplo, Fundatoris militantis Ecclesiæ Apostolorum ejus sermonibus, actibusque firmatur. Hæc est apud Deum, & Patrem mundam, & immaculatam Religio, que descendens à Patre lumnum, per ejus Filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & deinde per Spiritum S. P. Francisci, & cum sequentibus inspirata totius in se continet testimonium Trinitatis. Hoc est (cui attestans Paulus) nemo de cætero debet esse molestus, quam Christus Signatibus suæ passionis confirmavit, volens illustriorem iis suis passionis signis notabiliter insigniri.

66 Queritur VI. Utrum usque ad finem mundi duraturus sit status Religiosus? Resp. Affirmative, saltem quoad inam, vel alteram, aut aliquas Religiones. Ita cum communi aliorum Hyacin. Donatus, Tom. 4. tr. 1. q. 19. id varie probans.

67 Sufficiat loco probationis, saltem Religionem Seraphicam S. Francisci esse Divina revelatione, & oraculo fuisse certificatam, quod pro Ecclesiæ emolumento & ope usque ad finem mundi perseveratura sit. Sannig h. t. cap. 3. n. 1. Wadingus, Sedul. & Ordinis Chronica.

§. III.

De Recipiendis ad Religionem: item de Novitiis, eorumque Magistro, & anno Novitiatus.

S U M M A R I U M.

- 68 Non quisvis ad Religionem recipi potest, sed requiritur I. certa ætas.
- 69 II. Status libertatis. III. Usus rationis. Et numer. seq.
- 71 IV. Ne sit infamis.
- 72 V. Nec obnoxius ratiociniis.
- 73 VI. Aut gravatus ere nimio alieno.
- 74 VII. Aut corpore vitiatas, vel infirmus.
- 75 VIII. Vel Heremaphroditus.
- 76 IX. Nequit recipi Episcopos sine licentia Pape.
- 77 X. Nec proles, cujus ope graviter indigen parentis.
- 78 XI. Quandoam liberi sine consensu parentum possunt & debeant ingredi Religionem.
- 79 Professio liberorum illicitè facta, valet.
- 80 Criminosi recipi n queunt.
- 81 Que de recipiendis Jure communi statuta sunt, etiam in statutis nostris Generalibus sunt.
- 82 Antequam recipiatur Novitius, necessaria est indagatio de qualitatibus requisitis. Et numer. seq. Afferuntur textus ex Bulla Sixti V. & Clementis VIII. ad propositum. Ibid.
- 83 Pœna recipientium inabiles, aut non servatis Constitutionibus Pontificis.
- 84 Informatio, & indagatio de qualitatibus jam notis necessaria non est.
- 85 De nondum cognitis quando, & à quo fieri debeat? Et numer. seq.
- 87 Qualitates recipientium in compendio referuntur.

- 88 Magister Novitorum qualis esse debeat?
- 89 Quomodo educare, & in quibus id struere debeat Novitius?
- 90 Requisita de Jure, requiruntur etiam in statutis nostris. Confessio Sacramentalis singulis septimanis saltem bis fieri debet in Ordine nostro. Ibid.
- 91 Pœna recusantium officium Magistri Novitorum, & præmium illud obtinuum ex statutis. Summa cura adhibenda, ut optime præficiantur Magistri Novitorum. Ibid.
- 92 Noviti per annum integrum debent esse in Novitiatu.
- 93 Limitatur in Ordinibus Militaribus, & Societate Jesu.
- 94 Annus Novitiatus debet esse completus de momento in momentum.
- 95 Dies capta quando habeatur pro completa? Et numer. seq.
- 97 Congregatio Cardinalium circa annum totaliter completum.
- 98 Professio, que fit finito anno, cui hora deest, invalida est.
- 99 Solvitur Obsectio, & ostenditur, quod non sit necesse, differre Professionem in diem finio anno sequentem, usque ad num. 103. Tempus modicum attendendum, quando est de substantia? Ibid.
- 103 Novitiatus annus debet esse continuus. Et numer. seq.
- 105 Si Novitius per unicum diem vel horam interrumpit annum, debet de novo incipere. Et numer. seq.
- 107 Si Novitius de & sub obedientia Superioris etiam diu moretur extra Monasterium, non interrumpitur Novitiatus.
- 108 Neque si tempore Novitiatus infirmetur.

Queritur I. An quilibet Religionem ingredi, & in eam recipi possit? Resp. I. Non quisvis, sed illi tantum Religionem ingredi, & in eam ad Novitiatum recipi possunt, qui requisitas à Jure qualitates habent, & defectibus à Jure impediens carent. Unanimis, ac certa. Patebitque inductione, quæ requisitas à Jure qualitates, & defectus Jure impediens ingressum recensebimus. I. Requiritur certa ætas pubertatis nempe Sylvester v. Religio. 5. q. 1. Hyacin. Donatus Tom. 2. tr. 1. quest. 7. num. 1. Pirhing h. t. num. 27. Pelliz. tr. 2. cap. 1. n. 4. & communis aliorum, claris Jurebus c. Ad nostram. 8. & c. Cum virum. 12. h. t. jure canon. 1. & 2. cau. 20. q. 2. Ratio est; quia hæc ætate primum discretio rationis, libertas arbitrii, & vires adveniunt ad austeritatem Religionis probandum, præsertim verò, an etiam continentiam servare que valeat, quod ante pubertatis annos satis experiri nemo potest. Nec obstat Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regul. cap. 15. requirens ad validam Professionem annum decimum sextum completum, quia per hoc non prohibet, quin annus Novitiatus citius inchati, & compleri possit; sed tantum ne ante illam ætatem emitatur Professio. Pariter non obstat idem Concilium eadem Sess. cap. 16. statuens, ut expleto anno Novitiatus Novitius aut statim ad Professionem admittatur, aut statim in Monasterio rejiciatur; quia intelligenda est illa dispositio Tridentini, nisi iusta subit causa Professionem differendi, prout declaravit S. Congregatio Concilii, & cum aliis bene observat Pirhing lo. cit. num. 27. Juxta statuta tamen nostra Generalia cap. 2. §. 1. debet recipiendus esse ætatis saltem